

dem Romanum Pontificem pro tempore existentem quamprimum deferri, atque ita nostro, et Sedis Apostolicæ iudicio subijci præcipimus, suspensa interim eorum omnium et singulorum executione, donec, et quousque ab eadem Sede, sine cuius auctoritate nihil omnino in similibus pacisci fas est, Apostolicæ confirmationis robor in totum, vel in partem receperint.

§ 11. Cæterum per præsentibus non intendimus ea, quæ antehac contra supradictarum Nicolai, Pii, et Gregorii Prædecessorum, seu forsitan aliarum Apostolicarum Constitutionum, seu litterarum formam quomodolibet gesta fuerunt, ullatenus approbare, nec pœnas ea de causa per transgressores incursas remittere, vel condonare.

§ 12. Decernentes pariter easdem præsentibus litteras, etc.

§ 13. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, etc.

§ 14. Aut si præfatis, vel aliis quibuslibet communiter, etc.

§ 15. Ut eadem præsentibus litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, etc.

§ 16. Utque ipsarum præsentibus Litterarum transumptis, etc.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 22 Septembris 1695, Pontificatus anno V.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(27. Disposuit Gregorius X, in cap. *Ut circa, de Elect.* in 6, ut appellantes ab electione jurent se credere vera esse quæ opponunt, ut innuit Auctor num. 2. Verum sciendum est, quod ex Doctorum sententia tunc appellantes ab electione tenentur juxta hanc sanctionem jurare vera se credere, quæ opponunt, quum appellant ab electione *certæ alicujus personæ*, non item quando ab electione in genere appellant. (28. Ita Decretalem hanc interpretantur Glossa ibidem, verb. *Faciendo*, et rursus in cap. *Qui contra, verb. Certam, For. Benefic.*, part. 2, sect. 2, cap. 3, § 5, q. 508, num. 2, aliique. (29. Quinimmo in ipsa appellatione ab electione *certæ personæ* debent appellantes jurare vera esse quæ opponunt, si crimina vel defectus contra electum vel electionem opponant, idque prudenti consilio, ne crimine temere opponantur, non item si nihil tale opponant, quum cesset præfatum inconveniens; Lupus, in dict. cap. *Ut circa, de Elect.*, in 6. Vanaxel., in *Decretal.*, lib. 1, tit. 6, numer. 18. egregie Passerin., *de Election.*, cap. 32, nu. 69. Leuren., *For. Benefic.*, part. 2, sect. 2, cap. 3, § 5, quæst. 509, numer. 2. Rot., in novis decis. 36, per totum *de Appellat.*

(30. Quod eo vel maxime procedit, si Appellantes causæ innitantur, quæ principaliter jus proprium respiciat, adeoque non nisi

(1) Illud ipsum quod notat Rom. Theologus in Nota Artic. III, subjecta jam ego tradideram in verb.

indirecte impugnent jus electi, Barbos., in cap. *Ut circa, de Election.*, in 6. Vanaxel., in *Decretal.*, lib. 1, tit. 6, nu. 18. Passerin., *de Election.*, cap. 32, num. 68. Rot., in novis dict. decis. 36, n. 2.

(31. Pœna vero Appellantis ab electione, qui jurare omisit ad formam dict. cap. *Ut circa*, non est quod appellatio nullius sit momenti, sed quod Appellans non audiatur in non expressis in libello appellationis; Lupus, in d. c. *Ut circa, n. 4, de Elect.*, in 6. ubique, Geminian., n. 4. Franc., n. 2. Passerin., *de Elect.*, c. 33, n. 69. Leuren., *For. Benefic.*, p. 2, sect. 2, c. 3, § 5, q. 509, n. 2.

(32. Hic autem non est omittendum, quod agitata novissime fuit in Rota quæstio hæc de appellatione ab electione, non præstato ab Appellantibus juramento, quod vera credebant, quæ opponebant. Licetque ad sustinendam dictam appellationem deducta fuissent quæ hæc tamen minus placuit supremo illi Tribunali nullo in numero habere ipsam appellationem, ut patet ex decisionibus in Colonien. Decanatus 4 Julii 1755, § 9, et 14 Maii 1756, § 8, cor. bo. m. Borull.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(33. Animadvertite, an. 1727, in Congregatione rebus Consistorialibus præposita duò fuisse proposita dubia. 1. An hæc Innocentii XII constitutio ea etiam afficeret Capitula, seu Collegia, quæ ex viris, mulieribusque composita, et unius Abbatissæ, seu Præpositæ regimini subjecta sunt? (34. 2. An huic Constitutioni, quatenus pacta electionem præcedentia interdicit, et irritat, obnoxie essent quæcumque pactiones, sive conventiones, honestæ licet et justæ. Utrique dubio Congregatio respondit affirmative, Benedictus XIII 16 Augusti litteras Apostolicas expediri jussit, quibus Congregationis responsa confirmabantur. Id tamen sub eo Pontifice præstitum non fuit; sed quod tunc fuit prætermisum, implevit Benedictus XIV, 15 Julii 1774. Vide eundem Benedictum XIV, *de Synod. Dioces.* lib. 13, cap. 13, num. 23.

ARTICULUS IV.

Electio, quomodo, quando, et ubi fieri possit et debeat ut sit canonica, præsertim inter regulares.

(1. (1) Pro electione Canonica faciendâ, sunt in primis vocandi omnes, qui de Jure, aut legitima consuetudine habent Jus in ea suffragandi, et sunt in pacifica possessione eligendi; c. *Cum inter universas* 18, c. *Coram dilecto* 35, et c. *Quia propter* 42, *de Elect.*, et ibi Glossa communiter recepta in verb. *Qui debent*. (2. Alias etiamsi unus solus contemnatur, seu non vocetur, potest ipse agere de contemptu, et electionem irritare; quamvis enim non sit de substantia electionis, ut vocentur absentes, ut defen-

Absens quoad Electionem, num. 8 et 9. Vide *ib.* (NOT. ROM. THEOL.)

dunt Glossa in c. *Nulli* 8, *de Elect.*, in 6. Tabiena, verb. *Electio*, n. 19. Donatus, loc. cit. q. 18, n. 9. Fagnanus, in cit. cap. *Quia propter* 42, *de Elect.*, n. 38. Peyrin., *de Subdit.*, q. 1, c. 31, not. 1. Reiffenstuel, loc. cit. n. 115, et alii; est tamen per ipsos citatos et alios, de Justitia; adeoque licet electio non sit ipso Jure irrita, ad ipsius tamen contempti instantiam erit irritanda juxta c. *Quod sicut* 28, *de Elect.*, quia plus obsistit electioni contemptus unius, quam contradictio multorum, ut habetur in cap. *Venerabilem* 24, et cap. *Bonæ memoriæ* 36, *de Elect.* (3. Si vero vocalis valide subsistit, si vocalis contemptus, sciens electionem factam, et potens contradicere nihil opponit, quia in tali casu censetur tacite ratihabere electionem, et juri suo renuntiare, adeo ut non sit postea amplius audiendus, ut docent Spelleri., decis. 181, n. 43. Passerin., *de Elect.*, c. 11, n. 119, et alii passim.

(5. Vocalibus vocatis, et in unum conventis, sunt ante electionem habendi tractatus consultorii, in quibus discutiuntur qualitates, habilitates, et merita eligendorum; c. *Cum terra* 13, *de Elect.*, ibi. « Personam nomen, quod si in persona fuerit peccatum, » etc. c. *Inter Canonicos*, 21, eod. tit., ibi: « In Capitulum se receperunt, de futura electione Pontificis tractaturi; » c. *In causis* 30, eod. tit., ibi: « Cum Capitulum Ecclesiæ ad tractandum de electione Episcopi convenisset; » c. *Cum in veteri lege* 52, eod. tit., ubi irritatur electio ob defectum debiti tractatus, ubi Glossa verb. *In tractatu* ait: « Hinc patet, quod tractatus debet haberi ante electionem et collationem ad invicem, alias quomodo eligerent, nisi primo de aliquo eligendo tractarent? » et cap. *In Genesi* 56, eod. tit., ubi electio declaratur irrita, ex quo tractatus debitus non fuit habitus, ibi: « Non tractatum, neque discussum. » Ex quibus textibus Donatus, loc. cit., q. 11, n. 2. Matthæucci, loc. cit., c. 18, n. 43, et alii deducunt electionem esse nullam, vel saltem annullandam, si ante eam non habeantur tractatus consultorii, per quos possint vocales dignoscere quinam sit dignior, ad cujus electionem sub mortali tenentur, ut fuit dictum sub nu. 13; art. anteced.

(6. Ante electionem tenentur vocales Reguli præstare juramentum de eligendo meliorem, seu digniorem secundum veritatem cujusque conscientiæ; habetur expresse in Decretis Clementis VII, editis pro reformatione Regularium tam Monachorum, quam Mendicantium ejusdemque Ordinis, et Instituti, § 53, ibi: « Jurentque Electores secundum veritatem cujusque conscientiæ probiores, ac magis idoneos se electuros. » Quæ decreta fuerunt innovata, corroborata, et revalidata ab Urbano VIII, in decreto de Apostatis, et Ejectis, cum decreto irritante, et cum amplissimis derogatoriis, ut patet in § 42, in fin. et 13, ibi: « Nihilominus sit

irritum, et inane quicquid secus a quoquam actum extiterit, » et § 14, ibi: « Non obstantibus Constitutionibus quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium. » Ratione cujus decreti irritantis Tamburin. tom. 1, *de jure Abbat.* disp. 5, q. 6, n. 29. (7. Megala in *Promptuar.* verb. *Elect.*, num. 37, et alii dicunt, quod tale Juramentum est de conditionibus essentialibus electionis, et ejus ommissio reddit electionem nullam ipso facto. Quidquid sit de hoc circa electiones quæ fiunt in aliis Ordinibus propter posteriores Apostolicas dispositiones; quas forsitan habuerint, crescit argumentum pro electionibus, quæ fiunt in ordine Minorum de Observantia, vigore Constitutionis Innocentii XI, incipient. *Militantis Ecclesiæ*, ubi præcipitur Electoribus sub pœna non suffragandi, quod præstent tale juramentum coram Venerabili Crucifixi imagine, præsentem Præsidentem, ibi: « Item, ut majori circumspectione electiones Prælatorum fiant, præcipitur electoribus sub pœna non suffragandi, ut antequam ad electionem Ministri, Custodes, Diffinitorum, et Guardianorum procedant, sigillatim juramentum præstent coram Venerabili Crucifixi imagine, præsentem Præsidentem, se eum electuros in quolibet prædictorum officiorum respective, quem in conscientia, et omnibus æqua lance libratis, digniorem judicabunt. »

(8. Et hoc sub clausula decreti irritantis, ibi: « Decernentes easdem præsentibus litteras et statuta præinserta, semper et perpetuo firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari... ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, » etc. Vide in Chronologia P. Julii de Venetiis, in septuagesimo quinto Capitulo Generali, fol. 124, usque ad 146. (9. Et tale juramentum de eligendo digniore fuit ipsis iterum novissime præceptum sub clausula decreti irritantis a Benedicto XIII Constitutum, incipient. *Universalis Ecclesiæ regimini*. Quæ Constitutio licet a Clemente XII, Constitutum, incipient. *Circumspecta*, fuerit in aliquibus moderata, tamen quoad obligationem præstandi tale juramentum, remanet firma, et valida, immo confirmata; cum d. Clemens XII, in tali sua Constitutione, § *Hinc est*, expresse præcipiat exactam observantiam d. Constitutionis Benedicti XIII, ad formam statutorum, seu Constitutionum generalium ejusdem Ordinis, ibi: « Præinsertas Benedicti Prædecessoris litteras, ac in eis sancita, ordinata, et disposita quæcumque ad formam statutorum, seu Constitutionum generalium ejusdem Ordinis quo ad utramque illius familiam prædictam servari harum serie præcipimus, et mandamus. » Unde cum ex statutis conditis in septuagesimo quinto Capitulo Generali, confirmatis expresse ab Innocentio XI, in d. Constitutione, incipientem

Militantis Ecclesiae, præcipiatur sub clausula decreti irritantis tale Juramentum; stat clarum remanere firmum, et validum, immo confirmatum per d. Constitutionem Clem. XII, incipientem *Circumspecta*.

(10. Quamvis autem in dicta Constitutione Innocentii XI, sicuti etiam in dd. Constitutionibus Benedicti XIII, et Clementis XII, sit oppositum decretum irritans, adhuc tamen Matthæucci, loc. cit., cap. 18, numer. 46 et 47, cum aliis defendit electionis validitatem non obesse præcisam, et puram omissionem juramenti; et ratio est, quia, ut ipse observat ex Fagnano, in cap. *Cum accessissent 8, de Constitutionib.* num. 33, advertendum est an decretum irritans sit adjectum alicui particulari ordinationi, vel prohibitioni, et tunc indistincte importat nullitatem actus in contrarium attentati juxta textum, in cap. *Quia propter 42, de Election.*, et in c. *Si cui 25, eod.* in 6, an vero apponatur in clausulis executivis, ut fieri solet ex stylo, et tunc referri debet ad Judices, ut verba ipsa sonant; apponitur enim ad finem removendi obstacula impediencia executionem actus, super quo Constitutio decernit; c. *Si eo tempore 43, de Election.*, in 6, et notat Geminian., cons. 143. *Ex narratis*, n. 1, et ex eo tollitur jurisdictio aliter judicandi ex notatis per Cardinal., in c. *Quia diligentia*, in 3, q. *de Elect.* Seraphin., decis. 351, n. 1. Rota, part. 7, recent. dec. 174, n. 13.

(11. Decretum autem irritans in dictis Constitutionibus Innocentii XI, Benedicti XIII et Clementis XII, non primo, sed secundo modo adjectum consideratur. Et ad hoc facit decretum Sacre Congregationis Regularium, in qua cum dubitatum fuisset de validitate electionis Provincialis Mediolanensis Ordinis Minorum Conventualium celebratæ non prævio juramento de eligendo digniore, contra prohibitionem Constitutionis Ordinis, et opponeretur quod esset nulla propter decretum irritans appositum in Bulla Confirmationis Constitutionum ejusdem Ordinis: « Sacra Congregatio hoc non obstante resolvit pro validitate electionis, cum Con-

(1) Judicium, quod protulit de hujusmodi Basileensi Concilio Synodus Lateranensis V Oecumenica, uti plures docent, in hunc modum sese habet. Cum in hac itaque Lateranensi Synodo abroganda esset pragmatice Sanctio et substituenda Pacta Bononiæ concordata inter Leonem X, et Franciscum I. Regem Christianissimum (qua de re legendus Natal. Alexander *Histor. Eccles. Sæcul. XV et XVI*, dissert. 10. *de Synod. Lateran. V. Pragmat. Sanct. etc.*), quæ quidem Pragmatica Sanctio in Concilio Basileensi edita fuerat, ita in hanc rem eloquitur laud. Synodus Lateranensis sive Pontifex. « Nec illud movere debet, quod Sanctio ipsa, et in ea contenta in Basileensi Concilio edita... fuerint, cum ea omnia post translationem ejusdem Basileensis Concilii per Eugenium Papam IV, prædecessorem nostrum factam, a Basileensi Concilio, seu potius conventiculo, quæ præsertim post hujusmodi translationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint; ac propterea, etc. » Sess. XI. Unde colligere cuivis facile licebit, quam recte de eodem Basileensi Concilio pronuntiaverit doctissimus Purpuratus Bellarminus: quod nempe Concilium istud « fuit legitime inchoatum, sed illegitime terminatum. »

stitutio illa de juramento præstando non haberet in specie clausulam annullativam actus contrarii; » sic refert Fagn., loc. cit. n. 32.

(12. Ante electionem canenda est Missa, et facienda est invocatio Spiritus Sancti pro eligendis dignioribus: cap. *Cum Terra 14, de Electionibus*, ibi: « Electores in unum locum, in quo fuerit electio celebranda, conveniant, et invocata Spiritus Sancti gratia, personam nominent: » cap. *Cum inter 18, eod. tit.* ibi: « Mandamus quatenus, invocata gratia Spiritus Sancti, personam idoneam per electionem Canonicam concorditer assumatis ad Regimen Capuanæ Ecclesie, » et sic mandant Constitutiones ejusque Ordinis, et Instituti. (13. Talis autem missa de Spiritu Sancto, quamvis aliqui apud Barbosam in cit. cap. *Cum Terra 14, de Elect.* n. 5, et 6, velint quod requiratur ad validitatem electionis, tamen revera non est de ejus essentia, et validitate, sed solum de solemnitate, et decentia, nisi existat specialis Constitutio cum clausula irritante actum contrarium; arg. cap. *Quia propter 42, de Election.* ac notat Abbas in cap. *Cum Ecclesia n. 1, de Causa possess.* Barbosa loc. cit. n. 6. Tabiena verb. *Electio 2*, num. 29, in fin. Sigismundus a Bononia *de Elect.* dub. 19, num. 5. Labor. variar. lucubrat. tit. 4. c. 19, n. 43. Tambur. *de Jure Abbat.* tom. 1. disp. 5. quæst. 6. n. 28. Peyrin. tom. 1. *de Subdit.* q. 1. c. 13. verb. *Not.* quarto Donatus loc. cit. q. 18, num. 8. Reiffenstuel loc. cit. n. 50. et alii passim. Nec obstat Concilium Basileense, in quo sub clausula irritante statutum fuit, ut ante electionem Prælati audiatur Missa de Spiritu Sancto, et sumatur Corpus Domini Nostri Jesu Christi, et præstetur juramentum, et similia, quia Concilium Basileense fuit reprobatum in concilio Lateranensi, sess. 11, sub Leone X, ubi Conciliabulum schismaticum, seditiosum, et nullius prorsus auctoritatis dicitur. Megala 2, q. *Promptuar.*, verb. *Electio*, num. 57, et alii (1).

(14. Electio debet celebrari omnibus Elec-

Cap. 19. *de Conciliis auctorit.* lib. II. Illud enim fuisse legitime convocatum nemini profecto erit subdubitandum; cum id meridiana luce clarius constet ex litteris, seu Diplomate Pontificio Martini V, quo et Concilii indictionem confirmat, et Julianum Cardinalem Diaconum S. Angeli a Latere legatum, ejusdem Concilii Basileensis Præsidentem cum amplissima potestate creat: quæ et litteris datis confirmavit Eugenius IV, qui Martino V, et vivis erepto, in Petri Cathedra successerat. Vide Natal. Alexandr. *Histor. Eccles. Sæcul. XV et XVI*. Dissert. VIII, art. 2. Immo per aliquot Sessiones legitime continuatum fuisse, atque etiam legitimum mansisse ad translationem usque ejusdem Concilii Ferrariam factam ab ipso Eugenio IV, docet ac probare nititur idem Natal. Alexander laud. Diss. VIII, art. 3, n. 64, ex ipsis litteris Eugenii IV, quibus ipsam Synodum Basileensem ad translationem usque se suscipere, amplecti, ac venerari profitetur. Post translationem potro ejusdem Ferrariam factam mansit acephalum, vanum, et inutile Conciliabulum evasit, veri et oecumenici Concilii prærogativa exutum. Etenim publica Ecclesie utilitate, ac necessitate postulante, translatio ejusdem Concilii ad Ferrariensem Urbem facta fue-

toribus in unum collegialiter, seu Capitaliter congregatis, et non singulariter tantum, quia non sufficit, quod electores dent votum suum singulariter in camera sua, seu alio modo sigillatim præstent suum consensum, sed in communi debent convenire, et consentire, et suffragia ferre; cap. *Quia propter 42, de Election.*, ibi: « præsentibus omnibus, » et concordat, cap. *In Genesi 55, eod. tit.* et Glossa communiter recepta in c. 1 *de Rebus Eccles. non alienand.* in 6. Est enim de substantia, et essentia electionis ut Capitulum congregetur, ut recte docet Fagnanus, in c. *Quia propter 42, de Elect.* n. 37, cum communi aliorum. (15. Capitulares debito, et consueto modo vocati, si electioni interesse nolint, adhuc electio remanet Canonica sine ipsis; c. *Cum nobis 19, de Elect.* ubi Capitulares vocati, et electioni interesse nolentes, vel a loco ipsius recedentes, dicitur *se fecisse alienos*, et sic ibi notant, et tenent Doctores communiter; concordat cap. *Quod sicut 28, eod. tit.* ubi expresse statuitur, quod absentia illorum Vocalium, qui rite vocati ad electionem celebrandam accedere vel nequiverunt, vel noluerunt, illam minime impediatur. (16. Et pro Ordine FF. Minorum habetur expressum decretum quod si aliquis Definitor præsens nolit convenire in Definitorio sub aliquo prætextu, non debeat fieri subrogatio, sicuti fit pro Definitore legitime impedito, et est ut sequitur.

MEDIOLANENSIS.

Eminentissimi e Reverendissimi Signori.

Il Ministro Provinciale de' Minori Osservanti Riformati di Milano, desiderando che le elezioni de' Superiori nella sua Religione si facciano sempre in conformità delle proprie Costituzioni, e Decreti di questa Sacra Congregazione, supplica umilmente l'EE.VV. a degnarsi dichiarare, se ne' casi, che alcuni Definitori presenti ancorchè intimati a concorrere all' elezioni, ricusino d' intervenire, si debbano allora in lor vece sostituire degli altri Padri della Provincia, conforme le Costituzioni Riformate ordinano (c. 8. n. 51.) che si facci quando manca altro de' Definitori, che non si possi avere per lo spazio di tre giorni.

Che il tutto, etc.

« Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum et Regularium præposita, audito Commissario Generali Ordinis, et referente Eminentissimo Franciotto, censuit casum propositum non comprehendere sub dispositione cap. 8. n. 51, Constitu-

rat; nempe ad procurandam unionem Græcorum cum Latinis; quod Basileæ perfici prorsus non poterat, cum Græci illuc accedere nolent, cum locus nimis distaret. Injuste ergo Basileenses PP. decreto translationis Concilii obstiterunt, ac Basileæ ad continuandum Concilium permanendum contendebant. Deinde Basileense Concilium post ejusdem translationem teterrimum Schisma in Ecclesiam induxit, atque Eugenio IV Pontifici legitime creato, quem omnes fideles, ut verum Pontificem, et Christi Domini in

tionum quoad prætensam subrogationem. Romæ, 6 Augusti 1655.

« M. CARDINALIS GINETTUS.

« Loco ✕ Sigilli.

« H. Archiep. Patrac. Secret. »

(17. Et sic fuit novissime decisa in causa Provincialis Reformatæ Papiæ. Ubi cum Pater Provincialis citasset formiter Definitorium pro celebranda Congr. intermedia, et Pater Joseph Hieronymus a Burgosessia Custos, et Pater Joseph Franciscus a Papia Definitor nolissent intervenire, immo appellationem interposuissent: hoc non obstante, Pater provincialis, et tres alii Definitores congregationem celebrarunt, et posita causa in Sacra Cong. utraque parte informante, *Sacra Cong. Episcoporum et Regularium*, Ponente Eminentissimo Casino die 8 Februarii 1715. rescripsit, Congreg. intermediam sustineri, et ad mentem Eminentissimi Pontentis, qui post prandium ejusdem diei 8 Februarii 1715, in præsentia Patris Francisci a Brendelio Procuratoris Generalis Reformatorum et præsentis D. Dominico Ursaya in executionem mentis Sacre Congregationis comburere fecit duas scripturas injurias ex adverso divulgatas. Sic dictus D. Dominicus Ursaya tom. 1. p. 1. discept. 13. n. 163. qui ibid. n. 16. refert in punctualissimis terminis duarum aliarum Congr. intermediarum dictæ Provincialis, re mature perpensa, et partibus acerrime informantibus, se ipso scribente pro illarum validitate, his respondiisse eandem Sacram Congreg. in Papien. Congregationis intermedia, nempe, die 21 Januarii 1707, Ponente clar. memor. Cardinal. Gabriello, et die 19 Julii 1709, Ponente Eminentiss. D. Cardinali de Abdua.

(18. Si cæpto electionis tractatu, aliqui Vocales egrediantur, et redire nolint, possunt alii sine ipsis procedere ad electionem, dummodo adhuc major pars Capitalium remaneat in Capitulo; c. *Cum nobis 19, de Elect.* et concordat c. *Bon. mem.* 23. eod. tit. c. *Quod sicut 28, eod. tit.* et c. *Cum in cunctis 1, de His quæ fiunt a majori parte Capituli*, et tenet communis Doctorum cum Glossa in c. *Cum inter Canonicos 21, de Elect.* verb. *Capituli*; ubi sic expresse dicit: « Licet dissensio sit inter Canonicos, et quidam agant contra alios, ibi dicitur esse Capitulum, ubi est major pars. » (19. Et talis electio tenet, quamvis electores recedentes protestationem, et appellationem interponant, quia recedendo faciunt se a Capitulo, et jure eligendi alienos; textu ex-

terris Vicarium agnoscebant, et colebant, opposuit Felicem V Antipapam, qui tamen veritate tandem aliquando agnita, Pontificatu sese abdicavit, sequo Nicolao IV, Eugenii successori subiecit. Quapropter huic Basileensi Concilio merito illud Horatii in *Arte Poetic.*:

Turpem

Desinit in piscem mulier formosa superne,

aptari potest. (EDIT. NEAP.)

presso in cit. c. *Cum nobis* 19. de *Elect.* ibi: « Cum post appellationem emissam Archidiaconus cum suis fautoribus Chorum exisset, et vos illos, ut interessent electioni faciendæ, vobiscum curassetis sollicite revocare (quoniam ad electionem faciendam accedere noluerunt), alienos se fecisse videntur, propter quod electioni a vobis juxta formam mandati Apostolici concorditer celebratæ de Jure non posse contradicere, videbantur, » et sic Rota part. 19. recent. decis. 313. n. 13. Card. de Luca disc. 27. de *Canonicis* n. 9. Passerin. c. 11. de *Elect. quæst.* 11. n. 101. Pirhing. lib. 1. *Decret.* tit. 6. n. 135 et sequent. Et alii passim. (20. Et sic expresse censuit Sac. Congr. Episcoporum et Regularium in Ordinis Cisterciensis Capitulum Generale 19. Januar. 1720. Ponente Cardinali Spinola, ut refert Ursaya tom. 4. part. 3. discept. 9. Et hoc etiam procedit, quando aliqui Vocales remanent quidem in Capitulo, sed votare nolunt; Glossa in Clement. Quod circa 6. de *Elect.* verb. *Qua in facto*, Card. de Luca disc. 53. de *Regularibus* n. 8. Ferosin. de *potest. Capitulum* tr. 3. qu. 5. n. 15. Barb. lib. 1. *Juris Eccles. univ.* cap. 19. n. 224. Reiffenstuel. loc. cit. n. 201. Rota in Cæsaraugustana electionis 23 Martii 1623. coram Coccino, et dec. 591. n. 3. coram Merlino, et in una Leodiensi dec. 208. n. 4.

(21. Immo hoc etiam procedit quando una cum aliquibus vocalibus, vel soltis sine justa

(1) Facti species, de qua hic agit Cl. Auctor, proponitur nobis in cap. Congregato 53, de *Electione*, ac simul resolvitur juxta doctrinam ab eodem Cl. Auctore indicatam. Ecclesia Nivernensis in Galliis viduata Pastore, ejusdem Capitulum convenerat, ut de futuri Pastoris electione ageretur. Cum ad electionis negotium procedi cepit, tredecim ipsorum in Decanum, octodecim vero in Cantorem ipsius Ecclesie convenerunt; quapropter idem Cantor, in quem major pars Capituli consenserat, in Pastorem Ecclesie Nivernensis extitit electus. Postea factum est, ut illi, qui in Decanum consensionis suæ vota contulerant, cum ipsis visum esset partem oppositam, quæ steterat pro eligendo Cantore, multum deliquisse, quod personam elegissent scientiæ litteralis expertem, unde facultate eligendi ipso jure excidissent, ac privati essent, juxta statutum Concilii Lateranensis III, relatum in cap. *Cum in cunctis*, § *Clerici sane de Electione*. atque eligendi potestas translata esset ad partem, quæ Decano eligendo in Episcopum prius suffragata fuerat, eundem Decanum in suum Episcopum elegerunt. Utraque porro parte ad Sedem Apostolicam recurrente, atque appellationis remedio contra partem adversam pro validitate suæ electionis invicem sese tueri conitente, aliis alia afferentibus; Gregorius IX ratione controversiam istiusmodi componendam decrevit, Episcopo Sylvanectensi hac Decretali rescribens: ut si ipsi Cantori nullus litteraturæ obsisteret defectus, ipsius electio confirmaretur. « Alioquin ipsius Cantoris electione irrita nuntiata, prænominatum Decanum (si nihil ei de canonicis obsistet statutis), eadem auctoritate præficias Ecclesie, » licet ipse, ut constat, a paucioribus de Capitulo fuisset electus.

At numquid ipsa electione indigni, maneat electus alter, qui alioquin dignus a minori, vel æquali parte fuerat electus? Facti species in hunc modum fingi poterit majoris claritatis gratia: Duodecim de Capitulo Canonicis concurrentibus ad electionem De-

causa exiret de loco Capituli, vel nollet votare ipsemet Præses, aut nollet ad electionem indictam procedere; quia eo ipso quod Capitulum fuerit legitime congregatum pro habenda electione, et illam inchoaverit, fuit jus quæsitum remanentibus pro ea complenda, et Præses, et alii Capitulares recedendo, seu nolendo ad indictam electionem procedere: censentur se fecisse alienos, ex cit. c. *Cum Nobis* 19. de *Elect.* et in terminis tenuit Rota part. 19. tom. 1. recent. decis. 313. n. 13. Hostiens. in d. cap. *Cum nobis* a num. 17. Abbas ibid. num. 10. Roman. *Consil.* 352. num. 15. et 16. Ferosin. de *Electione* qu. 3. num. 19. et pluribus adductis. Ursaya tom. 3. part. 1. discept. 14. a n. 24. ad 44(1).

(22. Nec obstat validitati talis electionis defectus Præsidis, quia Præses non pertinet ad substantiam electionis, ut solide probat Fagnanus cum aliis in cap. *Quia propter* 42. de *Electione*. n. 72 et 73. In d. enim capite, in quo substantialia electionis perstringuntur, de Præsede nihil disponitur; sicut nec in decreto Trident. sess. 25. c. 6. de *Regularibus*. nec alicubi, ut dicit Fagnanus l. c., reperitur in Jure, quod ex defectu Præsidis aliqua electio fuerit cassata, vel reprobata; nec ullus Doctor id exigit ad electionis validitatem. Unde nisi aliud disponant litteræ Apostolicæ, vel Ordinis constituta, et in tali casu actus Capitulares possent dirigi ab antiquiore, vel digniore in defectum ejus, qui

cani, sex ipsorum personam manifesto indignam in Decanum elegerunt; reliqui vero sex in alium convenerant, suaque suffragia direxerant, qui pro certo dignus habebatur: num in persona digni facta electio. licet non a majori parte Capituli, sed tantum æquali, jure subsistat.

Ita quidem sentire videtur Pontas verb. *Electio*: cas. 1. quod probat ex memorato. cap. Congregato. At, ut verum fateamur, alia nobis videtur sententia laud. cap. Etenim tredecim illi Canonici, de quibus agitur in cap. laud., quæ erat minor pars Capituli factam, ut ipsi autumabant, « Decanum ipsum, in quem prius sua vota direxerant, in suum Episcopum elegerunt. » Non ergo ipsa electione indigni, per priora, ac pauciora suffragia in ipsum collata mansit electus Decanus, sed novo actu, postquam major pars per electionem indigni suffragandi jure privata fuisset, in Decanum consenserunt, atque ipsum in Episcopum elegerunt. Præterea cum eligendi potestas ad minorem illam partem Capituli devoluta non esset, nisi post electionem indigni a majori parte Capituli factam, unde exciderunt a jure eligendi ac eodem privati fuere, cumque in hanc partem non incurrere censentur Electores, nisi secuta sit communis electio personæ indignæ, ut decrevit Bonifacius VIII, cap. Perpetua 7. de *Elect.* in 6. inde sequitur electionem Decani a minori Capituli parte factam per priora suffragia, quando simul omnes de Capitulo convenerant, et suffragandi jure omnes adhuc potiebantur, nullam fuisse futuram, nisi novo actu post electionem indigni, in Decanum consensissent, qui prius pro ipso suffragium tulerant, ac in suum Episcopum elegissent. Hæc profecto videtur germana interpretatio allatæ Decretalis *Congregato*, quam sequi atque amplexari oportet, quisquis nolit pro arbitrio, sed jure potius de rebus decernere.

(EDIT. NEAP.)

juxta legem præesse deberet, et nollet; Innocent. Joann. Andreas, Abbas. Felin. et alii in cap. 1. de *Majoritat. et obed.* et Fagnanus cum aliis l. c. n. 75. Matthæuc. l. c. cap. 18. n. 54. et alii, et late Ursaya l. c.

(23. Quinimmo etiamsi omnes Electores de Capitulo exeant, si instet terminus ad electionem faciendam a jure præfixus, et unus solus remaneat, hic satis erit; et servatis cæteris servandis, valide poterit eligere, quia iste unus, qui remansit, non debet suo jure privari sine propria culpa; Glossa in cap. *Gratum* 2. de *Postulat. Prælator.* Donatus tom. 2. *Prax. rer. Regular.* tract. 2. q. 10. n. 9. cum aliis ibi citatis; Pirhing lib. 1. *Decretal.* tit. 6. num. 12. Passer. de *Elect.* cap. 10. qu. 1. n. 8. cum aliis plurimis ibi citatis; Reiffenstuel loc. cit. n. 202. arg. *Si forte* 9. dist. 65. *Vide supra* art. 2. sub n. 5. (24. Similiter si uno excepto omnes alii de Capitulo moriantur, vel delinquant, ita ut remaneant privati jure eligendi, vel suis obrenuntient votis, iste unus qui non obiit, nec delinquit, nec suo renuntiavit voto, poterit absque dubio extraneum eligere, quia in tali casu, in isto uno solo conservatur jus totius Capituli, seu Universitatis; Glossa in cit. cap. *Gratum* 2. de *Postulat. Prælator.* Glossa in l. *Nerattius*, ff. de *Verbor. significat.* et l. *Sicut*. ad fin. *quod cujusque universit. nomin.* Barbosa lib. 1. *Juris Eccles. univ.* cap. 19. n. 56. et alii supracitati; dicitur autem notanter, quod poterit extraneum eligere, quia non posset eligere seipsum, ex adductis supra art. 2. n. 6. (25. Et a fortiori poterit procedere ad electionem minor pars innocens Capitularium si major pars delinquat, ita ut privata remaneat jure eligendi, vel temere, et sine justa causâ recedat; cap. *Gratum* 2. de *Postulat. prælat.* c. *Cum nobis* 19. et c. *Bona memoria* 23. de *Elect.* et docent Doctores communiter.

(26. Si aliquis Vocalium schedulam vacuum miserit in communem votorum Urnam, adhuc electio erit valida, quia talis, qui dedit schedulam vacuum censetur juri suo renuntiasset; arg. c. *Cum nobis* 19. de *Elect.* et notat Glossa magna in Clementin. quod circa 6. de *Elect.* Navarrus consil. 7. de *Elect.* n. 1. Rodericus tom. 2. qq. *Regul.* q. 52. art. 13. Layman. in cit. cap. *Cum nobis* n. 3. et alii passim. (27. Sic si in aperitione scrutini reperiantur plures schedulæ, quam sint Vocales, adhuc electio erit valida, si demptis superfluis remanet major pars; Sac. Congr. Episc. et Regul. 17 Novembris 1628. et Sac. Congreg. Concil. in Aquinatens. 23 Augusti 1692.

(28. Electio Superiorum Regularium debet fieri omnino per vota secreta; Conc. Trident. sess. 25. c. 6. de *Regularibus* ibi: « In primis Sancta Synodus districtè præcipit omnes supradictos » (scilicet Abbates temporales, aliosque Superiores locales, Provinciales, Generales, et Abbatissas) « eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur. » (29. Et ita debet fieri per vota secreta, ut non pos-

sit fieri per viam compromissi, aut inspirationis. Et ratio est, quia Concilium Tridentinum l. c. non solum præcipit electionem Superiorum Regularium esse faciendam per vota secreta, sed etiam omnem electionem aliter factam decernit nullam, ibi: « Si vero contra hujus decreti constitutionem aliquis Electus fuerit, Electio irrita sit. » Atqui electiones, quæ fiunt per viam compromissi, aut quasi inspirationis possunt, ac solent fieri per voces publicas non vero per vota secreta, ergo non possunt sic fieri sub pœna nullitatis, et sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Concilii refert Garcias part. 5. de *Beneficiis* cap. 4. n. 204. et Fagnan. in cap. *Quia propter* 42. de *Elect.* n. 30. ubi dicit, quod proposito a Carthusianis dubio: « An in Electione Superiorum possit procedi, ne dum per viam scrutini, sed etiam inspirationis, vel compromissi? » Sacra Congreg. Concilii « censuit electionem horum Prælatorum Regularium debere fieri tantum per vota secreta » ut se habent verba propria Concilii d. cap. 6. Et sic tenet Passerinus cap. 1. de *Elect.* n. 56. et 79. plures alias dictæ Sacræ Congregationis declarationes, et quamplures Doctores allegans, Barbosa in Concil. Trident. dict. sess. 25. cap. 6. de *Regularibus* n. 15. cum variis aliis. (30. Non desunt tamen magni nominis Doctores, qui dicunt Concilium Tridentinum habere locum solum in electionibus Regularium per scrutinium, qui inter ipsos est forma usitator; non autem in iis, quæ fiunt per compromissum, aut per quasi inspirationem, quæ possunt, et solent fieri palam per voces publicas; Sic Miranda t. 2. *Manual. Prælat.* q. 23. art. 3. in fin. Rodericus tom. 2. qq. *Regular.* q. 92. num. 9. Tamburin. t. 1. de *Jure Abbat.* disp. 5. q. 5. n. 9. Azorius part. 2. lib. 6. c. 14. Pirhing l. c. n. 397. et alii plures.

(31. Electio non desinit esse secreta propter puram et simplicem ostensionem schedulæ secreto factam alicui ab aliquo ex Electoribus ad effectum, ut videat, quem ipse eligat; dummodo hujusmodi ostensio, seu manifestatio non sit vera, et realis, nec rationabiliter præsumpta causa, cur potius unus, quam alter electus sit, uti esset, si ille, cui facta est talis ostensio, ratione talis ostensionis mutaret suum votum, et faceret inclusivam electionis pro tali sibi ostenso, qui alias sine suo voto non fuisset electus; Castellin. in tract. de *Elect.* c. 4. n. 5. Fr. Emmanuel in *Summ.* p. 1. c. 102. n. 4. Navar. consil. 7. in antiq. alias. 4. in nov. de *Elect.* Barbosa in *Trid. sess.* 25. c. 6. de *Regul.* n. 4. et alii passim. (32. Sic non desinit esse secreta electio, si quis Electorum, sive per malitiam, sive per errorem, ostenderit alteri votum suum, in scio, et non consentiente Capitulo, dummodo tamen non causet affectum, de quo n. antecedenti; Rodericus tom. 2. qq. *Regul.* quæst. 52. art. 9. Navar. *Concil.* 9. de *Elect.* Barbosa lib. 1. *Juris Eccles. univ.* c. 19. n. 209. et in Tridentin. loc. cit. n. 5. Garcias de *Benefic.* part. 3. c. 4. n. 183. Molphes. in *Summi.*